

tes illæ tendant unanimiter in plagam Soli oppositam, nondum satis explicatum est. Sanè radii solares omni soliditate destituti tantam propellendi violentiam non habere videntur. Quod si velimus statuere, circumcirca tales è capite continuò exsilire moleculas, ab eâ tamen parte solùm videri, quæ Soli est ex aduerso, quod radii solares in superficie capitis refracti, post Cometam jungantur, & ita fortiores fiant, ut videmus in globis vitreis, per quos radii solares cum refractione transmissi paulò post in aëre vicino coëunt, eumq; splendescentem inibi reddunt, alibi velut obscurum relinquentes: tunc obstat, quod, tantâ copiâ molecularum è cerebro cometico statim à primo accensionis momento resultante, Cometæ diu durare non possent, cum primis ii, quorum cauda longissima simul & lucidissima, adeoq; copiosâ materiâ prædita est, ut Cometa Anni 1618. cujus cauda, si velut rivulus molecularum ex fonte capitis continuâ successione effluxit, parum abfuit, quin uno die totum exhausserit caput, præsertim si circumcirca similis factus est effluxus.

Quapropter magis verisimile mihi semper visum est, 1. Circa Cometæ caput circumfusam esse quandam corpusculorum, minutissimorum spheram, seu materiam subtiliorem, quàm est compacti capitis, & crassiores aurâ cœlesti, quæ vel propter subtilitatem suam reliquo corpori cometico uniri non potuit in generatione Cometæ, vel post generationem demùm accessit, Cometæ caput (esto unâ cum egredientibus & à Sole velut expulsis moleculis subtili satis) circumvolitans, & radios per caput refractos & magis unitos excipiens, nobisq; modò longiori, modò breviori sub formâ referens, prout vel materiæ copia, vel figura capitis id permiserit. 2. Caput Cometæ non esse sphericum exactè nec æquidantum, sed inordinatum, non secus ac ipse motus, diversis superficiebus sphericis, conicis, polyangulis &c. terminatum, unde radii solares incidentes diversimodè refringuntur, ita ut non semper in unum punctum coëant post cometam, sed ut in speculis ustoriis parabolicis radii in cylindrum, aut figuram non multùm ab simile coacti per circumfusam atmosphæram longius progrediantur, caudam ibi repræsentantes, quæ accedente motu seu vertiginis seu trepidationis, quo Cometa alias atq; alias sui corporis partes densiores, crassiores, diversasq; superfici-